

lectus, prout factus in actu per cognitionem : ergo non ipsius verbi, quia duorum realiter distinctorum non est idem esse.

Respondetur negando majorem. Ad probationem dicitur, quod verbum ex suo formali conceptu procedit, ut terminus intellectionis, distinguo; ut terminus intellectionis depuratus ob omni potentialitate, et substantialiter unum cum suo principio, concedo; ut accidentaliter solum repræsentans, et ut terminus accidentalis, et cum imperfectione, et potentialitate, nego. Quando autem terminus intellectionis procedit secundum esse intelligibile depuratum ab omni potentialitate, et quod est esse substantiale, hoc ipso ex vi suæ formalissimæ processionis procedit ut substantia, et ut substantialiter unum cum suo objecto quod se habet ut formale principium intelligendi. Si autem procedit ut substantia, et substantialiter unum cum tali principio, quod est essentia ipsa divina, hoc ipso procedit formalissime, non solum ut intellectum, sed ut intelligens, quia procedit ut substantia in ordine intelligibili, et intellectuali; substantia autem in illo ordine intelligibili non solum est res intellecta, sed etiam intelligens, et vivens, et sic procedit ut perfecte simile Patri, non solum in esse intellecto, sed in ratione intelligentis.

Quod vero dicitur intellectionem illam esse divinam materialiter, et identifice, et quasi ex parte subiecti, respondetur intellectionem illam si consideretur ut abstrahens ab increata et creata, angelica, humana et divina, sic dividi quasi materialiter, et divisione formæ in subjecta per divinam, angelicam, et humanam. Si autem consideretur ut intellectio purificata ab omni potentialitate, et quæ est actus purus intra suam lineam intelligibilem,

sic non est materialiter, sed formalissime divina, et formalissime ex vi sua habet esse substantialis, et substantialem processionem fundare, et similitudinem in esse substantiali exprimere, quia ex ipsa depuratione intelligibilitatis ab omni potentialitate intra suam lineam præcise procedendo, et omni alio respectu, vel formalitate sublata, habet illud esse intelligibile reddi substantiale, et sine ulla ratione accidentali, ut explicatum est; et sic verbum procedens habet esse intellectum, et intelligens.

Ad confirmationem respondetur, quod intelligi potest comparari ad duo, scilicet ad objectum quod est extrinsecum intellectui, et in hoc ponit nisi denominationem extrinsecam, sicut esse visum, esse cognitum. Secundo, comparatur ad verbum, seu speciem expressam, in qua repræsentatur objectum intellectum, et ipsa repræsentatio passive est dicta, et expressa, et ea ratione vocatur intellecta passive, quia est dicta, et in se repræsentat rem ut intellectam; et hoc non ponit denominationem extrinsecam, sed veram realitatem producit, et ipsum objectum realiter repræsentatum, et intellectum dicitur in illo verbo. Et præsertim hoc verificatur in essentia divina, quæ per suammet substantiam, et entitatem est suum esse intelligibile, et intellectum in actu puro, et ipsum esse intellectum constituit illam in actu secundo intelligibilem, petitque ut ipsum intelligere sit sibi extrinsecum. Et hoc totum aliquid reale est. Quod vero dicitur de creaturis existentibus objective in intellectu Dei, dicimus illas reddi intellectas a Deo tamquam objectum extrinsecum, et secundarium, quod non est suum intelligere, et intelligi; et sic non dat eis tale intelligi aliquid esse reale, vel substantiale. Intelligi autem

Verbi est ipsum esse intellectum divinæ essentiæ, quæ per seipsam est suum esse intelligibile in actu ultimo, et consequenter in intelligi; et hoc ipsum in Verbo est expressum, et dictum, seu repræsentatum passive quod utique aliquid reale est in Verbo. Quod vero dicitur non posse distinctorum idem esse dari, falsum est: nam distinctæ res si inter se uniantur, et componant idem, ut in rebus compositis contingit; et sic cum intelligere, et intelligi omnino inter se coordinentur in linea intelligibili, eodem esse intelligibili actuantur, et exprimentur in verbo, et multo fortius hoc currit in Verbo divino, cui idem esse quod est in Patre seu eadem essentia, et idem esse intelligibile quod substantiale est, communicatur, et unum omnino sunt in esse.

ARTICULUS VII.

Qua ratione processio Spiritus sancti non sit generatio?

I. Tam certum est de fide processionem Spiritus sancti non esse generationem, quam certum est ipsum non esse genitum, nec Filium. Quod autem Filius non sit, constat: sic enim Filius Dei non esset unigenitus, si plures essent geniti. Unde dicitur in symbolo Athanasii: « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. » Cæterum ex cujus particulæ pertinentis ad definitionem generationis defectu, processio ista non sit generatio valde controversum, et difficile est, ita ut non deferantur tam ex patribus, quam ex auctoribus antiquioribus qui rem hanc inscrutabilem, et inaccessible existimaverint, ita ut nullam de eo rationem posse inveniri faterentur, ut Damascenus lib. 1 de fide, cap. x,

et Bernardus serm. 1 pentecostes dicit: « Processionem Spiritus sancti posuisse tenebras latibulum suum. » Eadem inscrutabilitatem docet Nazianzenus orat. v theologiae, quæ est xxxvii; Augustinus lib. iii contra Maximinum, c. xiv; Anastasius Sinaita lib. de rectis fidei dogmatibus; magister sententiarum in 1, dict. xiii, aliisque plures. Non tamen propterea cessatum est a catholicis patribus, vel doctoribus hujus inscrutabilis majestatis et processionis occultissimæ explicare rationem, quare generatio non sit, ut contra hæreticos veritas catholica defendatur, et quantum tenuitas fragilitatis nostræ potest in illius splendoris immensam abyssum oculus conjiciat.

II. Cum ergo definitio generationis, quæ a nobis pro creata generatione traditur, semota omni imperfectione in tota sua propria, et formalissima ratione accommodata sit Filio, restat modo videre quomodo removeatur a processione Spiritus sancti. Et hoc difficile est. Nam generatio dicitur: Origo viventis a vivente, a principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ. Omnes particulæ videntur quadrare isti processionem Spiritus sancti. Est enim origo viventis, quia Spiritus sanctus est vita ipsa. Est a vivente, id est, ab ipso Deo Patre et Filio. Est a principio conjuncto ipsi vitæ, seu ipsi Deo, quia non est ex nihilo, nec de substantia creata: ergo de divina. Est in similitudinem naturæ, quia ex vi talis processionis procedit ut Persona divina, et ut Deus non ut creatura: procedit enim ut aliquid, et non ut aliquid creatum: ergo ut divinum: ergo ut simile. Et totum hoc habet ex vi suæ processionis, quia processio illa vim habet communicandi hanc naturam, et similitudinem Spiritui sancto. Ergo qua ratione habet vim producendi

hanc Personam ut divinam, habet vim communicandi hanc naturam, et similitudinem: ergo sicut ex vi processionis procedit, ut Persona divina, et tertia Persona Trinitatis, procedit ut similis.

DUO PRÆSUPPOSITA PHILOSOPHICA.

III. Antequam examinemus rationem D. Thomæ quare processio Spiritus sancti generatio non sit, examinanda sunt duo, quæ ad cognoscendam rationem hujus processionis Spiritus valde conducunt, et quia ad voluntatem etiam creatam pertinent, philosophica sunt. Nos autem non possumus theologice defendere, et explicare ea quæ ad hoc elevatissimum mysterium pertinent, nisi ratione ducta ex his quæ in nostro intellectu, et voluntate cognoscimus. Duo ergo oportet videre, quæ in nostra voluntate interveniunt.

Alterum, an per actum amoris immanentem producat intra nos aliquis terminus tamquam operatum per illum actum, et ad quid deserviat.

Secundum, an talis terminus proveniat active a conceptione intellectus et verbo, sicut in divinis Spiritus sanctus procedit a Verbo ut a producente, et spirante active.

IV. Circa primum, est expressa sententia S. Thomæ per actum voluntatis produci aliquem terminum quo res amata dicatur esse in voluntate, non per modum similitudinis, sed per modum ponderis, et inclinationis determinatæ erga hoc objectum. Tenet hanc sententiam, in hac quæstione xxvii, art. iii, et infra qu. xxxvii, art. i et iv contra gentil. c. xix, quibus locis non solum id docet, sed ex proposito explicat, et probat. Et quidem in intellectu est manifesta ratio ponendi verbum

tamquam terminum intellectionis; tum quia objectum quod intelligitur, debet esse intra intellectum, et intra ipsum attingi, quia intellectio fit trahendo objectum ad se, et unum faciendo cum illo in esse intelligibili; tum quia objectum debet esse manifestatum et dictum, quia intellectus ex sua perfectione, et natura est manifestativus, et locutivus; et sic oportet quod ad manifestandum exprimat in se repræsentationem, quæ est verbum, et per illud loquatur sibi. At vero in voluntate ita apparet quare ponatur aliquis terminus productus per amorem (omitto nunc habitum, qui assuetudine producitur: de illo enim non loquimur, quia producitur ut principium aliorum actuum, non præcise ut terminus cujuslibet actus in singulari) quia actus immanentes non sunt de se productivi, et immutativi alicujus termini: amor ergo qui est actus immanens non petit processionem alicujus termini intra se. Deinde, neque ut objectum sit intra voluntatem, quia voluntas non trahit objectum ad se sicut intellectus, sed ad illud tendit per inclinationem, et pondus, et sic objectum appetibile non est intra voluntatem. Et hæc est differentia inter verum, et bonum, ut dicit philosophus vi, met. textu viii, quod: « Verum est in mente, bonum in rebus: non ergo indiget aliquo termino, quo res amata sit in amante: nec enim res amata in amante est per similitudinem, et repræsentationem, sicut in intellectu. Quomodo ergo est in illo, nec enim alius modus percipi potest, quo aliquid est in alio, nisi vel per seipsum, vel per suam virtutem, vel per suam repræsentationem, et similitudinem, sicut effectus repræsentat causam, aut vestigium pedem, aut imago prototypum. Non est autem amatum in amante per similitudinem, et

imaginem: id enim est proprium intellectus, neque per virtutem suam, quia objectum non dat virtutem voluntati ad eliciendum actum: ex se enim habet voluntas vim eliciendi, quæ vitalis est, et ab objecto non provenit talis virtus, quia objectum extrinsecum est. Multo minus objectum est per seipsum intra voluntatem, cum extra maneat, et voluntas per amorem impellitur ad quærendam rem amatam. Nec sufficit ponere objectum, aut aliquam virtutem ejus in voluntate ad attrahendum illam, vel ad faciendum pondus, et inclinationem in illa; tum quia allicientia fit ab objecto proposito, et ex ipsa conceptione intellectus in qua resplendet objectum, agitur desiderium in voluntate in genere causæ finalis allicientis; tum quia ad ponderandum in objectum, et inclinandum, sufficit potentia, et habitus voluntatis, quæ important vim, et facultatem inclinativam. At vero ille terminus productus non est pondus, et inclinatio, quia non se habet ut principium impellendi, sed ut terminus per actum inclinationis, et volitionis productus: non ergo ille terminus se habet ut impulsus faciens impelli: impulsus enim sagittæ impressus est vis movens sagittam, ille autem terminus productus non est vis movens voluntatem: sic enim esset principium motus ejus, sed est terminus talis motus, et actus. Ad quid ergo ponitur illa qualitas ut terminus productus per actum voluntatis.

Confirmatur denique ex D. Thoma qu. iv de veritate, art. ii ad vii, ubi docet voluntatem non habere aliquid progrediens a se, nisi per modum operationis, et in hoc differt ab intellectu, quod in isto procedit aliquid non solum per modum operationis, sed operari: ergo falso dicitur quod procedit aliquid per mo-

dum termini, sicut verbum in intellectu.

V. Nihilominus dicendum est necessario esse ponendum istum terminum in actu voluntatis; imo et in quocumque actu appetitus elicitus propter rationem assignatam a D. Thoma locis præallegatis, quæ ut intelligatur supponendum est quod cum hæc sit vulgata differentia inter intellectum, et voluntatem, quod intellectus trahit objectum ad se, et sic habet ejus similitudinem, appetitus vero allicitur, et trahitur ab objecto, et sic objectum est pondus ejus; inde est quod in omni appetitu, quo fit pondus, et inclinatio in aliquid oportet, quod ex parte ipsius ponderis in terminum detur aliqua proportio, et convenientia cum re illa in quam tamquam in terminum tendit: ex eo enim id quod est grave ponderat in centrum, et in locum inferiorem, quia in se habet proportionem, et convenientiam cum loco inferiori, qui sibi debetur potius quam cum superiori, in quem inclinatur leve. Ex tali enim convenientia, et proportionem nascitur quod ponderet, et feratur in tale locum aut talem terminum ad quem datur talis appetitus. Sed hæc proportio in appetitu innato, et ex ipsa forma entitativa orto, est etiam determinata, et ad unum, sicut et ipsa natura semper operatur unum. Unde non indiget aliquo alio pondere, seu proportionem superaddita, ut determinate tendat in hoc objectum, et inveniatur illi proportionata, et conveniens. At vero appetitus elicitus nascitur ex sua forma ut potentia determinabilis ab objecto per formam intentionalem, et apprehensam, de se autem solum dicit potentiam indifferentem, et indeterminatam ad volendum, non quidem quod omnis appetitus habeat indifferentiam dominii quod pertinet ad libertatem, sed quod ha-

beat indifferentiam indeterminatio-
nis, et confusionis, quæ dependet, et
tollitur per formam apprehensam,
quæ cum existat solum in apprehensione,
oportet ulterius in ipsa
potentia appetitiva ponere determi-
natam proportionem, et convenientiam
cum hoc objecto potius quam
cum illo, et talis determinata pro-
portio orta ex forma apprehensa
per intrinsecum actum vocatur qua-
litas, seu terminus productus per
actum elicito a se, quo determi-
nate ponderat, et relinquitur poten-
tia inclinata intrinseco, et elicito
actu sic terminato in tale pondus, et
impulsum.

VI. Secundo supponendum est,
quod iste impulsus, seu pondus, quo
voluntas seu appetitus determinate
proportionatur, et impellitur in tale
objectum, debet oriri per actum
voluntatis, qui sit in se intrinsece,
et essentialiter amor, sed prout pro-
ducit talem terminum dicitur actus
ille spiratio, seu impulsio, sicut in
intellectu idemmet actus, qui est
intellectio respectu objecti, est dic-
tio, et expressio respectu verbi quod
proferit, et in quo representatur ob-
jectum tamquam res intellectu, et
dicta.

Ratio hujus est, quia non fit ille
impulsus, seu illud pondus, aut
proportio in voluntate, nisi respectu
alicujus determinati objecti ad
quod inclinatur voluntas, nec for-
mari potest talis impulsus nisi per
inclinationem voluntatis erga tale
objectum: sicut enim intellectus
apprehendendo, et intelligendo ob-
jectum format verbum, et loquitur,
ita voluntas tendendo ad objectum
format impulsum quo redditur pro-
portionata, et affecta ipsi objecto;
et sic affecta ponderat determinate
in illud potius quam in aliud, quia
illud sibi conveniens apparet, et
aptatur sibi; et sic voluntas coapta-
ta objecto amat, et amando se coap-

tat, sicut intelligendo dicit, et di-
cendo intelligit, quod quidem totum
est simul, et eodem actu, sed diver-
sa habitudine ut supra articulo
quinto ex D. Thoma ostendimus,
quia intelligere est habitudo ad ob-
jectum, non per modum originis,
sed per modum cujusdam intelli-
gibilis informationis; dicere autem est
habitudo ad verbum quod exprimi-
tur, et dicitur, quæ est habitudo ori-
ginis. Sic amare, et spirare diffe-
runt in eodem actu voluntatis, ut
S. Thomas docet infra qu. xxxvii,
art. i et iv contra gentil. cap. xix, quia
amare, seu diligere importat habi-
tudinem amantis ad rem amatam
per modum cujusdam inclinationis,
et unionis affectivæ erga ipsum.
Spirare autem importat non solum
habitudinem ad objectum in quod
impellit, et spirat, sed ulterius im-
portat habitudinem ad suum prin-
cipium, scilicet ad formam apprehensam
in intellectu, et ad ipsam
voluntatem, quatenus per intrinse-
cum, et vitalem motum voluntatis
cum ordine, et respectu ad formam
seu rem apprehensam formatur in-
tra se, seu procedit quædam deter-
minata proportio, et convenientia
voluntatis erga tale objectum vi-
sum, quo sentit se ponderare, et
trahi, seu impelli ab intrinseco, et
vitaliter in rem amatam; et sic pon-
dus, seu impulsus vitalis ut impres-
sus voluntati, et procedens ab illa,
et a forma concepta, et apprehensa,
dicitur spiritus seu spiratio, licet
tam processio spirationis, et impul-
sus, quam emanatio actus amandi,
amor sit, quia est actus vitalis per
modum inclinationis egrediens a
voluntate.

VII. Ex his sequitur quædam no-
tanda differentia inter modum quo
existit res in generante tamquam in
principio, et virtute seminali ut pro-
ducatur, et modum quo existit res
in inclinatione, et pondere alicujus

rei, ut tendat, et inclinetur in rem
aliquam, ut egregie advertit S. Tho-
mas loco citato contra gentiles, quod
res existit in generante per modum
similitudinis in sua forma, et in sua
substantia ex qua tamquam ex simi-
li propagatur genitum. Res autem
existit in suo ponderante seu incli-
nante tamquam in principio habente
proportionem, et coaptationem
cum re ad quam inclinatur, et me-
diante tali proportione dicitur res
amata esse in sua inclinatione, seu
in principio inclinante, sicut dicitur
rem exequendam esse prius in
intentione, et postea sequi in exe-
cutione, v. g. in igne, seu terra, et
datur virtus generativa alterius
ignis vel terræ, et datur pondus in
uno levitatis, in altero gravitatis ad
sua loca. Per virtutem generativam
continet in se genitum virtualiter,
et seminaliter; per virtutem ponde-
rativam continet locum ad quem
tendit virtualiter, et respective, qua-
tenus continet proportionem, et res-
pectum ad talem locum, et ad illum
inclinat. Prima continentia gene-
rantis est per similitudinem, secun-
da non, sed per proportionem, et
convenientiam, seu coaptationem
ad rem in quam ponderat, quia ge-
nerans per suam formam generat, et
de sua substantia, si est vivens, se-
minaliter emanat genitum ab ipso,
forma autem generantis et substan-
tia ex qua deciditur semen est
quid simile ipsi genito, qui eandem
substantiam formamque participat,
et propagat. Inclinatio autem in lo-
cum sursum vel deorsum non fit
per aliquam formam quæ etiam
locus sit, sed per quamdam coapta-
tionem et proportionem rei quæ in-
clinatur, cum termino ad quem est
inclinatio. Unde res illa ad quam fit
inclinatio non est in inclinante, et
ponderante per suam similitudinem,
sed sicut res proportionata, in sua
proportione, et coaptatione, sicut res

dicitur esse in intentione antequam
sit in se. Plura circa hoc diximus in
physica qu. xiii, agendo de fine, ubi
explicavimus quæ S. Thomas 1-2,
qu. xxvi et xxviii tradit circa hanc
unionem affectivam qua res amata
est in amante, et quomodo unitur
voluntati ad hoc ut amet.

VIII. His ergo præsuppositis satis
apparet ratio D. Thomæ et respon-
sio ad objecta supra facta: reduci-
tur enim ratio D. Thomæ ad hoc.
Voluntas est potentia, seu facultas
tendens per modum ponderis,
et inclinationis in objectum ap-
petibile tamquam in terminum
sibi convenientem, et proportio-
natum: sed omnis convenientia,
et proportio, seu coaptatio de-
bet esse reciproca, et mutua, ita
quod si unum extremum, v. g.
objectum proportionatur volunta-
ti, etiam ipsa voluntas coaptari,
et proportionari debet illi objec-
to, et sic illud amare, quia amor
non fertur nisi in rem sibi con-
venientem, et proportionatam. Sed
voluntas ex se, et ex propria fa-
cultate est indifferens ad omne ob-
jectum volibile, nec magis ponderat
de facto in unum, quam in aliud:
ergo oportet quod ut amet, et ten-
dat in actu secundo per amorem,
reddatur proportionata, et coaptata,
seu affecta isti objecto potius quam
alteri: ergo debet in se suscipere
impressionem hujus proportionis, et
ponderis ab ipso objecto apprehen-
so, quod est forma determinans in-
clinationem voluntatis erga hoc
objectum potius quam illud, eo mo-
do quo determinari potest voluntas
ab objecto, scilicet alliciendo ipsam
et relinquendo sibi dominium indif-
ferentiæ, ut possit a se excutere talem
inclinationem, et pondus, quando
voluerit, sed tamen suavitate ipsa,
et convenientia ligat voluntatem ut
feratur, non necessitate. Et tandem
Deus in genere causæ efficientis, et

quoad exercitium determinat, libertate retenta. Ergo oportet quod hæc impressio, et impulsus, seu coaptatio et proportio erga objectum nascatur in voluntate, et producat per actum ipsius cum dependentia, et ordine ad rem conceptam. Patet consequentia, quia illa impressio, seu proportio, et coaptatio, quæ fit in voluntate, non est impulsus violentus et extrinsecus, sed voluntarius, et vitalis, quia facit voluntarie ponderare, ergo debet nasci per actum vitalem voluntatis. Iste autem actus est inclinatio, et amor: nec enim alium habere potest voluntas: ergo per actum amoris producitur aliquis terminus per modum vitalis impulsus, et spiritus, ut tendatur in objectum amatum.

IX. Itaque sicut si aliquod mixtum, v. g. lignum, vel folium esset de se indifferens, ut movetur per sua principia intrinseca ad locum sursum, vel ad locum deorsum, non posset de facto moveri determinate ad locum sursum, nisi poneretur in eo levitas, quæ est inclinatio, et pondus quo coaptatur istud corpus illi loco, nec moveri ad locum deorsum, nisi ponetur in eo gravitas, quæ est pondus, et coaptatio ad locum deorsum: ita in appetitu elicitio, qui de se, et modo naturali non ponderat in hoc, vel illud objectum, nisi prout allicitur, et trahitur a forma apprehensa, per quam regulatur illa ponderatio, oportet quod non solum in ipso intellectu, ubi est res cognita, sed etiam in ipsa voluntate, ubi est vitalis inclinatio, et ponderatio in objectum, sit aliqua impressio, seu impulsus, qui constituat voluntatem coaptatam, et proportionatam determinate isti objecto, et sic cum tali proportionem ponderet in rem illam. Et quia vitalis ponderatio, et coaptatio est, provenire debet ab intrinseco per actum voluntatis, eique imprimi, et sic

per actum amoris produci, quia est pondus non quomodocumque, sed vitale, et voluntarium, seu ab ipsa voluntate ortum, quia inclinatur se movendo, et se impellendo, sicut si grave debere habere gravitatem vitalem, ut ponderaret in centrum, a seipso, et per motum suum gravitatem deberet habere, et non a generante, quia a se vitaliter debebat reddi grave.

X. Ad objectiones in contrarium.

Ad primam dicimus actus immanentes non esse productivos circa sua objecta quæ attingunt, bene tamen circa suos effectus quos intra potentiam habent, et producant: licet enim ex sua natura non postulent actus immanentes producere effectum intra potentiam, non tamen repugnat quod producant, quia actus secundi sunt, et eminenter habent vim actionis ad producendum, ut sæpe a nobis explicatum est supra.

Ad secundam instantiam, qua dicitur objectum voluntatis non debere esse intra illam, nec trahi ab illa sicut in intellectu, fatemur objectum non trahi ad voluntatem, sicut ad intellectum per similitudinem, et unionem repræsentativam, et intelligibilem, bene tamen impelli ab objecto, et reddi proportionatam et coaptatam voluntatem objecto, ut ponderet, et inclinetur in illud, et ratione hujus coaptationis, et ponderis dicitur objectum esse in voluntate, et amatum in amante, sicut terminus ad quem est in inclinatione ad se virtualiter, et tamquam in principio per modum proportionis, et convenientiæ afficientis, et impellentis ad terminum. Sic ergo objectum debet esse in voluntate per modum impulsus, et ponderis, non per modum similitudinis, et repræsentationis. Et Aristoteles dixit bonum esse in rebus, sed non dixit impulsus ad bonum, et pondus ad ipsum esse in rebus, sed in illo qui ad tale

bonum inclinatur, et tendit, et hæc est voluntas, quæ tamen quia non tendit ad bonum, neque sistit in illo, prout est in mente, sed prout in rebus, quia ad hoc operatur voluntatis inclinatio ut res ipsas assequatur; ideo dicitur bonum esse in rebus, id est, bonum ut acquirendum ultimate, et terminative, licet principium inclinans ad acquirendum illud in voluntate sit; e converso autem perceptio, et acquisitio veritatis ultimate et perfecte intra intellectum debet esse, quia objectum non cognoscitur, nec contemplatione attingitur, nisi intra intellectum.

XI. Et ad instantiam qua inquiritur quomodo objectum est in voluntate, dicimus quod non est per se ipsum, nec per similitudinem, et repræsentationem, sicut in intellectu, sed per modum proportionis, et coaptationis ad objectum, quo voluntas redditur ponderans, et affecta erga ipsum, et talis coaptatio ad objectum respectiva, et proportionaliter objectum ipsum est. Et cum replicatur, quod ad faciendum istud pondus, et inclinationem, seu impulsus, sufficit objectum repræsentatum in mente, ex quo agitur desiderium in anima, respondetur objectum hoc non posse operari in voluntate, nisi sequatur in ipsa, et intra ipsam aliqua impressio, et coaptatio erga tale objectum, ratione cuius elicitive ponderet voluntas, quia licet objectum alliciente trahat voluntatem, tamen ipsa effective, et elicitive non ponderat in objectum, nisi ex se vitaliter oriatur ille motus, et tendentia, neque ista oriri potest, nisi in se determinetur per aliquam unionem, vel proportionem aut coaptationem erga istud objectum tamquam per quoddam determinatum pondus ad tendendum in illud. Et hoc pondus debet esse in ipsa

voluntate, et non solum in apprehensione mentis, quia ipsa voluntas est quæ illo pondere agitur juxta illud Augustini XIII confessionum, c. IX: « Ponderibus suis aguntur omnia, pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror. » Ex objecto ergo apprehenso fit ponderatio, seu spiratio in voluntate, qua tendat in tale objectum per internam inclinationem. Cum vero instatur quod ad hoc sufficit ipsa potentia voluntatis, jam dictum est non sufficere, quia voluntas non est potentia determinata ad unum tantum, imo nec quilibet appetitus elicitus, qui potest juxta diversas formas apprehensas in diversa objecta ferri. Unde indiget determinato pondere, et impulsu proportionante, et coaptante potentiam ad hoc objectum potius quam ad aliud; imo etiamsi voluntas necessario feratur in objectum, ut divina voluntas in suam essentiam, et beatus in Deum clare visum, tamen quia hæc necessitas oritur in voluntate mediante forma apprehensa, et non entitative ex se sine objecto, indiget impulsu orto ex objecto, et maximo impulsu si necessario fertur. Et cum dicitur quod iste impulsus, seu impressio, aut pondus voluntatis non est principium, et vis impellens, sed terminus, respondetur quod ille impulsus est terminus actionis voluntatis ut spirativæ, et ut vitaliter se inclinant in objectum, sed iterum est ratio, et vis ponderans ut continetur amor, vel iterum eliciatur, aut ut crescat, prout efficacius aut tenacius inhæserit voluntati ista impressio de objecto cognito, sicut impellens sagittam, aut lapidem imprimens illi impulsus, et ex tali impulsu continuatur motus lapidis, et elicitur usque ad locum destinatum. Et ita dicit S. Thomas IV contra gentes, c. XIX in fine quod: « Ama-